

## **Dissertatio inauguralis medica de abortu / [Johann Heinrich Groskurt].**

### **Contributors**

Groskurt, Johann Heinrich, 1713-  
Segner, Johann Andreas von, 1704-1777.  
Universität Göttingen.

### **Publication/Creation**

Gottingae : A. Vandenhoeck, [1738]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sfzxgmqr>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

A B O R T V

QVAM

*IN ALMA GEORGIA AVGVSTA*

CONSENSV. GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

IOANNE ANDREA SEGNERO

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE,

MEDICINAE PHYSICAE ET MATHEMATIVM P. P. O.

REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS SODALI

PRAECEPTORE SVO SVMME COLEND0

PRO GRADV DOCTORIS RITE

CAPESSENDO

IN AVDITORIO MEDICO

AD DIEM XIII. SEPTEMBRIS C<sup>o</sup> B CC XXXVIII.

HORIS CONSVETIS

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

EXPONIT

AVCTOR

JOANNES HENRICVS GROSKVRT

NORDHEIMENSIS.

---

GOTTINGAE

APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30780032>

V I R O  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO  
D O M I N O  
GERLACO ADOLPHO  
LIBERO BARONI  
DE MVNCHHAVSEN  
DYNASTAE IN STRAVSFVRTH  
SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI  
MAGNAE BRITANNIAE REGIS  
DVCIS ELECTORIS BRVNSVIGA  
LVNEBVRGICI  
MINISTRO STATVS ATQVE CONSILIARIO  
INTIMO SVPREMO DVCATVS  
CELLENSIS PRAEFECTO  
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE  
VNIVERSAEQVE ADEO REI LITTERARIAE  
SVMMO PRAESIDIO

MAECENATI  
SVBMISSISSIMA VENERATIONE  
DEVOTISSIMOQVE OBSEQVIO  
  
AETERNVM  
PROSEQVENDO  
HOC QVIDQVID EST  
  
SPECIMINIS ACADEMICI  
  
DEBITA  
  
TANTO HEROI  
PIETATE  
OFFERT

IOANNES HENRICVS GROSKVRT.



## PROEMIVM.

Corpus humanum innumeris fere expositum esse morbis, iisque summo cum dolore, molestia, atque periculo affici, nec fugit quenquam, nec mirum videri debet illi, qui ingentem rerum numerum, quae illud laedere possunt, aestimat. Sunt tamen praeter eos, qui vtrumque hominum sexum afficiunt, & alii non parua copia, qui sequiorem sigillatiim exagitant; quorum ratio & in peculiari corporis faeminei habitu, & maxime in sexcentorum morborum autore vtero, vt Democritus ait,

quaerenda est. Horum inter gravissimos mihi abortus referendus videtur, cuius ea est natura, ut non matri modo saepe interitum minetur, verum & fructum, quem vtero fouet, spem futuri seculi, ante dieem exturbando, corruptat. Hunc grauem frequentemque affectum, specimine, quod exhibem mihi pro more recepto est, inaugurali, pertractandum sumsi, caussas eius, modumque quo auerti possit, declaraturus. Quod vt feliciter fiat,  
supremum numen supplex  
adoro.



§. I.

**A**BORTUS dicitur foetus immaturi ex utero exclusio; aliquando & ipse foetus immaturus ita exclusus, quo tamen significatunos iam non vtimur. Foetus autem siue embryo structuram aliquam habet partium, oculo visibilium, quae extendi in membra corporis humani, foetu in utero superstite, poterant. Ea, nisi in eo quod reiectum est, deprehendi possit, abortum passam esse faeminam, dicendum non est. Speciatim, si reiiciatur quidem corporis humani rudimentum, sed in quo figura membrorum nulla sensui pateat, defluxio id a quibusdam vocatur.

§. II.

Foetus autem immaturus ille est, qui in vita superstes, a corpore matris separatus, diu esse non potest, propter molliorem membrorum consisten-  
tiam

tiam: maturus, qui potest. Hac nota a partu praecoci abortus distinguitur, quo foetus prodit, qui aegre quidem iniurias aeris, & reliqua, quae in lucem prolatis toleranda sunt, sustinere valet, sed tamen, si cura adhibetur, salua vita sustinet, atque adolescit. Abortus terminus fere est, finis sexti gestationis mensis, partus praecocis, mensis nonus, cuius sub finem legitimi partus fiunt. Qui deinde fiunt partus, praeter consuetam naturae legem retardati sunt habendi.

### §. III.

Abortus a partu legitimo tempore differt, ceterum in multis cum eo conuenit. Vnde, ut clara eius doctrina habeatur, repetenda sunt ex anatomicalis & physiologicis, quae ad partus doctrinam spectant, eamue, quantum sufficere videbitur, illustrant.

### §. IV.

Vterus ergo, foetus hospitium, corpus pyriforme est, in pelvi inter vesicam & intestinum rectum situm, vasisque sanguiferis adeo refertum, ut, si artificiose ea vasa repleantur, totus vasculosus adpareat, quae vasa partim hypogastricorum, siue iliacorum internorum, partim spermaticorum sunt rami, & admodum inflexo itinere decurrunt, inter se omni-

modo communicantia, extremis osculis in cauitatem vteri hiantibus, quod in foeminis fluxu menstruo durante morbo peremptis, clare videre est. Venae vterinae nullis valuulis instructae sunt. Vasis vero intertextae sunt fibrae musculares, variis modis flexae, & circa fundum maxime in musculi orbicularis formam contortae. Itaque uterus, extensis in rectitudinem vasis, cedentibus fibris, insigniter potest extendi, crassitie etiam non imminuta, cum vas in rectitudinem extensa copiosiora liquida capiant, & ab iis vehementer extendantur: quibus exinanitis, & iterum contrahitur in pristinam paruitatem, vi magna, quaeque omnia eius puncta versus orificium, ob singularem structuram in primis maxime dilatabile, vrgeat, illudque, si vtero sese contrahenti aliquid in eius cauitate obstet, simul aperiat.

### §. V.

Vbi autem concepit mulier, ouulum, per tubarum fallopianarum motum peristalticum in cauitatem vteri delatum, adhaerescit, itaque rudimentum placentae format, quae vbi perfecta est, ex vasis tota constat, tectis quidem, qua parte vtero contigua est, lamella chorii, ita tamen, vt ex vasis vteri in placentam, & ex hac vicissim in vasa vteri viam sanguini patere omnia doceant; vnde quandam hic va-

forum esse inter se anastomosin, colligi debet, etsi non firmissime placenta cum vtero cohaereat, circa finem maxime gestationis, nam prioribus mensibus nexus ille fortior plerumque deprehenditur.

## §. VI.

Itaque ex vasis vteri in placentam, ex hac per funiculum umbilicalem in foetum, aduetio sanguine, hic nutritur, crescit in dies, vterumque magis magisque extendit, donec legitimo robore, & partium soliditate ea, qua reliquorum hominum more vitam agere possit, instruatur. Tum enim non quidem pondere solo vtero molestus est, eumque irritat, verum mole maxime eum distendente, aliquid etiam eius motibus ad id conferentibus, partem eius musculosam ad contractionem sollicitat. Quiquidem, cum doloribus summis iterum iterumque conuulsus, dilatat sensim orificium, foetumque versus illud detrudit, accedente quoque contractione omnium partium, quae abdomen arctare queunt, muscularum puta, qui dorsum incuruare possunt, abdominaliam item & diaphragmatis, tum & eorum, qui thoracem constringere, aeremque prius in pulmones haustum comprimerre, valent, quo actio diaphragmatis mirum in modum adiuuatur Quae actio partim ab irritatis per consensum partibus, partim a voluntate pendet. Itaque foetu sensim promoto rumpuntur eius tunicae, effun-

ditur liquor amnii, lubricantur, magisque distenduntur partes, foetusque si reliqua sese recte habeant, sequitur.

### §. VII.

Qui structuram positumque vteri considerat, atque resistentias hic superandas, facile concedet has potissimas partus caussas esse, pondere foetus parum admodum, & saepe nihil plane, ad eum conferente; Neque plus momenti in eius motu quaerendum est, quippe cum & paucarum sit virium, quaeque vix ad membra sua mouenda sufficient, & punctum, cui tantas resistentias superaturus, inniti possit, plane fixum nullum habeat. Confert tamen aliquando motibus partium suarum aliquid ad id, vt conuenientiori situ locatus, prodire facilius possit, etsi ii ipsi & situm eum saepe perturbent.

### §. VIII.

Excluso foetu secundinae prodeunt eadem contratione propulsae, eademque actione vteri placenta separatur, maxime illa, quae excluso iam foetu summa fit. Ex illa enim sequitur, vt puncta vteri, a punctis placenta, quibus contigua erant, necessario recedant, cum fieri non possit, si duae superficies sibi mutuo congruant, vnaque earum, punctis ad se accendentibus, minor fiat, manente altera, quin puncta, quibus sese

tangebant, a se mutuo recedant, magis quidem ea quae circa peripheriam locantur, minus, quae interiora occupant. Comprimi enim placenta vehementer non potest, cum vterus ex summa mole in exile corpus contrahatur.

### §. IX.

Ostensa ita caussa partus maturi, facile & abortus caussa immediata perspicitur. Nihil nos cogit, vt a contractione vteri hic quoque recedamus, & eae rationes quas adduximus, vt partum ab aliis caussis pendere non posse ostenderemns, idem de abortu euincunt, magisque etiam, quod & pondus foetus immaturi minus est maturi pondere, & vis eius ad enitendum quasi nulla. Quod cum ita sit, quidquid vterum disponit, vt sese ante, quam foetus maturuerit, ita contrahat, vt eiicere eum possit, quidquid orificium eius debilitat, vt contractioni minus resistat, & quidquid ei contractioni, minoriue resistentiae occasionem praebere vtcunque potest, caussa abortus immediata habenda erit.

### §. X.

Iam omnis quidem fibra muscularis viua, tensa supra modum, aut irritata vtcunque, sese vi sua contrahit, verum procliuior ad eam contractionem est fibra iam ante tensa, ea enim a leui etiam caussa porro exten-

extensa aut irritata, ad eum, quo sese contrahit, extensionis terminum perducitur. Idem accidit fibrae rigidae, vel quae ob peculiarem structuram multum extendi non potest. Ad tensas vero fibras illae quoque pertinent, inter quas vasa sanguine turgida decurrent, aut quae erosae sunt, aut vtcunque laesae, sic, vt aliquae iam id sustinere cogantur, quod plures sustinere debebant. Tenduntur enim tum istae necessario, quod & illis a vasis multum expansis accedit.

### §. XI.

Si ergo tumor aliquis, aut quaecunque res alia, vt mola, vteri cavitatem occupauerit, vbi concepit femina, & mediocriter tantum increuit foetus, ab utroque in eam molem extendi potest uterus, cui fibrae musculares vix sufficient, idque inaequaliter etiam, sic vt aliquae fibrae reliquis magis distrahantur, propter inaequalitatem tumoris: vtraque re uterus ad contractionem sollicitabitur. Similia & a tumore partis vtero vicinae, vel ipsius substantiae vteri, possunt contingere. Verum haec causa ex rarioribus est, cum eadem & conceptum impedire possit, vel defluxionem, non abortum, efficere.

### §. XII.

Sed si paruus fuerit uterus, neque ob conditionem fibrarum suarum multum extensilis, concipiet quidem,

fouebit faetum eumque nutriet, verum postquam  
is ad aliquam magnitudinem peruenerit, in summam,  
quam habere potest, molem distendetur, patietur-  
que omne id, quod vtero accidit, ad summum di-  
stento, sese contrahet, atque foetum nondum ma-  
turum deiiciet.

### §. XIII.

A sanguine autem vasa vteri replente tenduntur  
fibrae & plethoricarum, &, quibus sanguis per in-  
flammationis modum in vasis vterinis stagnat. Et  
plethoram quidem fibras vteri ad contractionem dispo-  
nere posse, eo minus dubitandum est, quo magis  
symptomata faeminarum menstruatarum spasmodorum  
indicia certa praebent, a nulla re alia, quam a con-  
gesto nimia quantitate sanguine, pendentium. In-  
flammatae vero partes quam sensibiles sint, abunde  
constat. Atque haec vna est caussarum, cur fae-  
minis, dysenteria, alioue quoquis morbo acuto, cor-  
reptis, adeo frequens abortus sit, vt raro ex eo, sal-  
uo foetu, euadant. Constat enim ex sectionibus ca-  
dauerum, frequentissimas his morbis esse viscerum  
infimi ventris inflammations, a quibus vterus in  
consensum trahi potest. Sed & alia plurima ab his  
morbis efficiuntur, quae ad abortum irritare vterum  
possunt, de quibus suis locis agetur.

## §. XIV.

Sunt & alia quae eam vteris conditionem inducunt, qualeibus etiam de causis ad contractionem vehementiorem stimulantur. Quorum cum effectus ita constent, ut ipsa, qualia sint, explicari perfecte nequeat, sensibilitatis nomine a medicis solent indigitari; quae generatim eam subiecti conditionem notat, qua leuiter corpore affecto, mens vehementer turbatur, aut mutatam vtcunque mentem, actiones in corpore immoderatae sequuntur; pariterque, affecta aliqua parte corporis, alia quoque vehementer adficitur. Dispositae sunt eius generis faemine ad abortum ex affectibus, terrore moestitia, excendescentia, tum & ex doloribus corporis quibusuis. Pertinent igitur ad illud graciles in primis, atque ex quacunque caussa siccae.

## §. XV.

Resistentia partium vteri inferiorum, quibus foetus contineri debet, generatim debilitatis fibris imminuitur, maxime, si muco quoque, partes lubricante, oppletae sint. Hoc enim casu & motus expeditior est, & ipsa placenta leuius vtero adcreuit, quorum vtrumque efficit, ut a leuiori etiam caussa, foetus non vehementissime retentus, possit expelli.

## §. XVI.

Cum ergo ea, quae hactenus enumerata sunt, & sola ad abortum excitandum sufficient, nulla accedente prophasi alia, quam magnitudine foetus, tantoque magis, si quid praeterea, quod stimulare vterum possit, forte inciderit; medicus super his consultus, quaecunque in artis potestate est, medelam eis ipsis adhibebit, quod vel ante conceptum faciet, vel postquam aliquid conceptum est. Quae enim tum facienda sint, si abortus euitari nullo modo possit, deinde videbimus.

## §. XVII.

Si ergo de tumore vteri, aut re aliqua praeter naturam in eo haerente, tumore abdominis, pressione, absque motu tamen aliquo, quales foetus exhibere solet, tum & ex functionum vitio, constituit; vel & ex dolore harum partium, aut immmediato tumoris contactu: illum quidem modis omnibus vel discutere vel extirpare conabitur; rem autem praeter naturam ex vtero expellere. Qua in re tamen naturae conatus exspectabit, adhibitis interea, quae viis quibusuis, naturam dibilitaturis, mederi possint, eamque ad motus consuetos leuiter excitare. Sed ubi concepit faemina, laxare conabitur partes, emollientibus, vnguenti, balnei, pediluvii

cly-

clysterii forma adhibitis, atque venae sectione, qua simul & plethora praecauetur, siquidem verendum sit, ut fibrae ad eam molem quae hic requiritur extendi nequeant: vel & roborabit partes, spirituosis leniterque aromaticis externis, motu musculari, & quae reliqua sunt, quae robur partibus conciliare nouit, si a nimia laxitate abortus sit timendus.

### §. XVIII.

Sed de rigiditate fibrarum vteri, eiusque paruitate, cum ex habitu corporis faeminei constare, et si aliquantum obscurius, potest, tum maxime, ex abortu antecedente, absque caussa euidente alia, quam magnitudine foetus, perpresso. Curabitur haec iisdem, quae proxime aduersus rigiditatem proposita sunt, quibus addi debet, victus mollissimus, potus aquosus, & quae partes maxime relaxant, quies, somnusque productior.

### §. XIX.

Eadem, si quid ex medicina commodi expectandum hic est, & aduersus sensibilitatem valere possunt, eaque in primis, quae succos corporis augent, ex alimentorum classe. Potissima erunt, quae sedare animum queunt, e disciplina morali, studiose atque cum prudentia, adhibita.

### §. XX.

## §. XX.

Febre autem correptae faeminae, cum semper abortus vehementer sit metuendus, tanto magis instabit medicus, ut eam contemperet, adhibitis omnibus, quae ad eam rem utilia, pro natura cuiusvis febris, ars exhibet, quaeque inflammationem, & reliqua, vel cauere possunt, vel tollere, tum & partes ne stimulum adeo facile sentiant, laxantibus atque demulcentibus disponere studebit.

## §. XXI.

Plethorae remedium subitaneum est venae sectio aut cucurbitula, quibus evacuantia reliqua, in primis quae aluum ducunt, succenturiantur. Venae sectio ergo vel cucurbitula temper adhibenda erit, vbi plethora vrget: laxans, euacuato prius sanguine dari potest, idque lenissimum, ne stimulo noceat. Ceterum repetita potius venae sectione hic opus est, quam copiosa, ne aliquid vehementius quam par est moueatur; eaque in brachio potius quam in pede instituta. Quamuis etiam secta pedis vena non id perpetuo sequatur, vt sanguis ea copia in uterum deriuetur, quae nocere foeti potest; fieri id tamen posse, consentaneum est, medico vero, tutioribus incertiora praeferre remedia, nunquam licet. Ad dentur & reliqua plethorae remedia, abstinentia, motus moderatus, & animi quoque aliqua occupa-

tio. Omnibus tandem disponentibus cauſſis commune obſeruabitur, vti occaſionales tanto magis evitentur, quo magis conſtat, eas & ſolas abortui excitando pares, tum facilius longe effectus fortiri, cum in corpus diſpoſitum incident, vel quod ad diſpoſitionem proclive eſt.

### §. XXII.

Inter has autem occaſionales cauſas primus adferri meretur, caſus terroris atque periculi pleniffimus, haemorrhagia vteri. Praecedentibus ſcilicet aliquando capitis doloribus, pulſu celeri, horrore, vomendi que conatibus, aliquando ſubito etiam, ex vtero grauidarum profluere incipit, primum quidem ſerum tintum, deinde, laxato vteri oſculo, ſanguis ſinceruſ, cum copioſis, magnisque tandem, grumis, iſque fluxus ſenſim increſcit, cum doloribus ad regionem pubis & inguinalem, & niſi ſiſtatur, lipothymiae tandem ſuccedunt, conuulsiones, mors. Inter ſaeua vero illa ſymptomata, ſaepe & foetus ſecedit.

### §. XXIII.

Non eſt confundendus iſte fluxus ſanguinis cum eo, qui aliquibus faeminis, eo tempore, quo menses fluerre alias conſuevere, primis maxime gestationis menſibus, accidit. Hic enim e vagina ortum habet,

neque aliud plerumque efficit, quam ut sanguinem eum, qui a nutritione foetus supereft, e corpore eiiciat: qua re tantum abeft, vt abortum efficiat, vt potius aduersus eum remedio sit, nisi, quod raro fit, nimia copia secedens sanguis, foetum nutrimento priuet, atque debilitet. Verum hic fluxus ab illo, cum tempore, vti diximus, differt, tum copia, minore hic, tum vero grauiorum symptomatum defectu.

### §. XXIV.

Illo autem casu sanguinem ex vtero effundi, & osculi apertura, & ipse tactus, docet: in vterum vero effundi ex eius vasis, postquam placenta secessit, illud docet, quod, cum sanguis prodire e vasis in cavitatem vteri non possit, nisi maiori vi, a quacunque cauſſa, in illa impellatur: eo loco, quo placenta vtero concreuit, resistentia omnium sit minima, quippe cum vasa non continentur, sed contigua modo vasa placentae vasis vternis leuius concreuerint. Aliquando tamen & placentae aliquod vas ruptum repertum est, nec plane improbable, cauſſis singularibus accidentibus, ex reliquo vtero sanguinem effundi, quod tamen quando fiat, & sciri vix potest, & ad curationem non multum confert.

### §. XXV.

### §. XXV.

Ruptura autem eiusmodi vasorum absque tensione non accidit, qua vterus ad contractionem sollicitatur, quae tamen & euacuationis nimiae effectus esse potest, quemadmodum copiosas haemorrhagias conuulsio tandem solet excipere. Fit tamen saepe, vt antea mors sequatur, quam foetus secesserit; ubi secessit, haemorrhagia sponte sistitur, compressis a contracto vtero vasis; raro idem foetu in vtero superstite accedit.

### §. XXVI.

Praeterea vero causae abortus occasionales sunt, quaecunque vterum irritare possunt, aut orificium laxare ita, vt minor vis foetui dipellendo sufficiat, eaque omnia, quae foetum vehementer laedere possunt, aut plane interimere.

### §. XXVII.

Constat enim multiplici obseruatione, foetum mortuum, aut vehementer affectum plerumque ante legitimum partus tempus ab vtero deiici; etsi aliquando, non modo aborsus mortem foetus non sequatur, verum & diutius, quam pro legitimo partus tempore, cadauer in vtero gestetur, sic vt aliquando corrumptatur, aliquando in duriorem molem concrescat.

Expulsionis autem mortui foetus cauſſa non equidem pondus eius eſt, neque enim mortuus foetus plus viuo ponderat: verum illud primum, quod foetus laedi facile non potest, illaefā matrice, quo fit, vt illud ipsum, quod eum grauiter adficit, & hanc ad abortum excitandum stimulet: deinde, quod in mortuo foetu sanguinis circulus ceſſat, vt ille, qui a matre ad placentum fertur, cum vltterius progredi non poſſit, vasa diſtendat, forte laceret etiam, atque ab vtero reuellat, ſicque huic dolorem excitet, contraktionis atque abortus occaſionem: tum, quod aliquid ſanguinis, qui in foetu stagnans, ad aliquem gra- dum corruptus fuit, in matrem recipiatur, febri, atque inde pendenti abortui, excitandis aptus. Grauiter laefus foetus, vel motu vehementiore vtero moleſtus eſſe, vel iisdem, quibus mortuus, modis, abortum excitare valet.

### §. XXVIII.

Quae vterum irritant ita comparata ſunt, vt has, quas proxime diximus, occaſionales cauſſas, ſimul queant producere, excitare ſcilicet haemorrhagiam vteri, aut foetum laedere. Ad ea vero acria pri- mum referenda ſunt, ea inprimis, quorum ſtimulus ita comparatus eſt, vt in vterum quoque agant, qua- lia ſunt, emenagogia, diuretica, purgantiaque calida, vel & emetica, cibi, potus, medicamenti, veneni no-

mine exhibita. Quae cum in fibras vteri irritando agant, sanguine quoque rarefacto, excitata que febri, eius impetum in vasa augent, vnde diuulsa placenta excitari haemorrhagia potest, vel & tenerima foetus vasa corrumpi, isque morti, antequam luce frui inceperit, dari: tum contrahendo abdomen, atque vehementer partes concutiendo, abortus iuuari. Non sunt hic praetermittendi odores, qui alias quoque miras in corporibus mutationes efficiunt, quaeque a nulla alia re, quae parua adeo copia in corpus agat, consequi obseruantur, ad conuulsionum classem referendas, vt eas vterum quoque faeminarum occupare, mirandum non sit.

## §. XXIX.

Huc & acrimoniae pertinent humorum corporis, per halitum, aut consensu vasorum, in vternm delatae, quales in dysenteriis, diarrhoeis grauioribus, tensesmo, aut meatuum vrinalium vitiis, concipi debent. Imo generatim dolores partium corporis, in primis earum, quae vtero vicinae sunt, vterum facile in consensum trahunt, adeoque, cum maturo foetu partui occasionem praebent legitimo, tum immaturo eo, abortui. Sed foetum haec plerumque ante deiiciunt, quam actione earundem caussarum sit interemptus.

## §. XXX.

Magna quoque adfectuum vis est, quibus musculos varie contrahi, suus quemlibet sensus, & attenta obseruatio, potest docere. Efficere ergo ira, terror, affectusque vehementes alii possunt, ut vteri illa conuulsio, qua foetus excludi solet, sequatur. Sed iidem adfectus & sanguinis cursum concitant, eumque maiori vi in partes, vterumque etiam, mouent, vnde ea consequi possunt, quae supra diximus. Alii affectus nutrimento corpus matris, foetumque etiam, priuant, vt tristitia continuata & sollicitudo. Alii & subito foetum, nulla caussa manifesta, vel quae explicari potuerit adhuc, interrimunt, vti terrores ab occisis hominibus.

## §. XXXI.

Huc & ipse foetus referendus est, pro gestationis tempore magnus nimis, aut socio stipatus, aut copiosori humido innatans, qui, si abortus caussa sit, viuus prodit, non maximo matris periculo.

## §. XXXII.

Sanguinem autem rarefaciendo, motumque eius accelerando nocent, spirituosa, atque aromaticaque-

quaevis, alimenti medicamentue forma, aliqua copia, sumpta; quae ergo, vt ab abortu vniuersaliter praeferuent, nimium quantum abest. Huc & motus pertinent muscularum, cuius quanta vis sit ad rarefaciendum accelerandumue sanguinem, abunde constat. Ex his caussis haemorrhagiae in primis fiunt vteri, & ex his abortus, potest tamen & ob solam vteri contractionem, irritati ab actiuore sanguine, & ob laesum foetum, idem hic sequi.

## VXXX.

## §. XXXIII.

Sed motus muscularum subitanei, extensioni destinati membrorum, saltusue, aut casus etiam faeminarum, tum, quidquid abdomen extrinsecus comprimere subito potest, placentam quoque ab utero separare valet, impresso foetui motu, aut partibus vehementer compressis: ad quod multum conferre breuitatem funiculi umbilicalis, ab aliquibus proditum reperio, quod improbabile nihil habere videtur. His haemorrhagias effici necesse est, aut foetum vehementer laedi, aut ipsum uterum in quibus omnibus de caussis abortus hinc graues fiunt, atque periculosi matri, tumque in primis foetui. Terror hic multum conferre potest, affectusue alii, qui sub eiusmodi casibus incident.

## §. XXXIV.

## §. XXXIV.

Verum quies, somnus, indolentia quaedam animi non nimis nocent. Debilitant enim fibras, sanguinemque & mucum accumulant, quo facto a leui occasione abortum excitari posse, dictum est. Ex his caussis abortum aliquando patiuntur faeminae, quae eum maxime cauisse visae sunt.

## §. XXXV.

Admissam esse aliquam caussarum evidenter saepe manifestum est, esletque etiam multo saepius, nisi metus, pudorque, aut maleficii sibi conscientia mens, silentium imperarent. Medicus ergo omnia exakte ponderabit, effectus aestimando, ut ne in caussa fallatur, atque per imprudentiam, cum aliis morbis medelam parat, fructui ventris mortem adferat. Si ergo acrimoniam quamcunque in corpore haberi, ex qua abortus periculum metendum sit, collegit, vim eius diluendo frangere conabitur, aut mucilaginosis oleosisue impedire. Dabit operam, non ut acri alio naturam ad illud eiiciendum stimulet, sed tamen, ut omnia adhibeat, quae adiuvare eius secessum, minimis excitatis turbis, possint. Huc eadem diluentia & obtundentia, clysterum fotuum, balneorumque forma faciunt, aut etiam

per os data. Eadem & fibras laxant, quod hic in primis vtile, cum fibra laxa, tensa minus, irritetur. Quietem in primis commendabit, somnoque ut ingenti vtetur beneficio, eumque & indolentiam quandam, iis remediis, quae reliqua permisent inducit.

### §. XXXVI.

Vtilis quoque hoc casu est sanguinis missio, ea-que tum in primis imperanda, cum sanguis vehe-menter motus est, aut rarefactus, quae positae sunt, cautionibus adhibitis. Hoc casu illis, quae stimulum eludere possunt, illa quoque addenda sunt, quae refrigerare possunt, atque sanguinem densare. Eadem & adfectuum quoque impetum infringunt, verum hic persuasiones, & quaecunque diuertere ad alia animum queunt, praetermittenda non sunt. Nec motus inconcinni effectus praecaueri aliis possunt, quam, quae impetum san-guinis in vterum minuere valent, proxime tactis, maximeque summa quiete.

### §. XXXVII.

Eadem, venae sectio puta, eaque repetita, tum & quies summa, quaeque spissare sanguinem

queunt ex classe leuius adstringentium, & stimulum obtundendo eludere, & tum adhibenda sunt, cum haemorrhagia vteri iam incepit, eademque, vbi desit etiam, per aliquod tempus continuanda. Non inepte his addentur legaturaे artuum, quae res ad retardandum sanguinis circulum maxime valet.

### §. XXXVIII.

Sed ille casus, vbi verendum est, ne, ob sanguinem tardius motum, defectumque partium nutritioni dicatarum, foetus nutrimento priuetur, praeter cibos commodos, lenem exigit stimulum, ex aromaticis spirituosisque, qui & in debilitate usui est, sed moderate adhibendus, & in primis extrinsece. His quoque motus addendi erunt, sed moderati continuatique, vectio in primis in plano, & quae mentem excitant, ut & frictiones partium, quibus & pituita copiosa soluetur, leui cathartico ex amaris, pro re nata, educenda.

### §. XXXIX.

Maior foetus remedium non habet, nisi quod disponentibus caussis opponitur, & ne mortuus quidem

dem. Noscitur hic ex cauissis euidentibus, & ex motus eius defectu, et si non firmissima certitudine, quam neque flaccescentia mammarum, ab Hippocrate adlata, neque foetor cadauer spirans, exhibet: hic enim cum foetu mortuo semper coniunctus non est, nec enim corruptitur semper in utero: &, si corruptitur, sentiri corporis vndique clausi odor, euidenter nequit. Cura eius nulla, nec praeseruari debet abortus, unicum restituendae matri sanitatis, remedium.

#### §. XXXX.

Quin hoc casu, reliquisque omnibus, quibus per ea, quae ad auertendum abortum adhibita sunt, nihil profectum est, serioque motus excludendo foeti a matura adhibentur, nihil relinquitur, quam ut mature ope adhibita, quod retineri nequit, educatur, caueaturque, ne quid eius, quod nocere deinde possit, in utero maneat. Idque in primis tum obseruandum est, cum haemorrhagia compesci aliis remediis non potest. Imo hoc casu ne exspectari quidem naturae conatus debet, matre in periculum adducta; verum, unicum remedium, foetus eductio chirurgica, adhiberi, quam primam

seruari & matrem & foetum non posse, constitit,  
& antequam res eo vsque perducta sit, tantum-  
que sanguinis effusum, vti conseruari iam  
ne mater quidem possit.



Positione VII. pro vitreo lege aquae.